



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Thesaurus Eloqventiae Sacrae Et Profanae, Saluti &
incolumitati Rerumpublicarum utilissimae**

Alberti, Alberto

Coloniae Agrippinae, 1669

Insana paradoxa venditata in Concionibus vituperantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69225](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69225)

explanatas? ridiculè plurimis ineptiis per
summam vim, ac nefas aptatas? audacissime
plerisque alijs etiam modis temeratas, distor-
tas, atque adulteratas?

*Infana paradoxa venditata in Concioni-
bus vituperantur.*

249. **V**erùm etsi hæ cunctæ Concionato-
rij muneris corruptelæ graves om-
nino sunt, graviterque jure sunt deplorandæ;
quanto tamen acerbius, sapientissimi Præ-
sules, aliorum quorundam, non tam Concio-
natorum, quàm rabularum temeritas à me
hoc loco perstringenda, diraque imprecatio-
ne simul defigenda meritò est, qui, exorica pa-
radoxa, hæretico etiam veneno subinde im-
buta, ad famam magnorum virorum anxie
aucupandam, Auditoribus propinant, obtru-
duntque; fuse dilatant, atque amplificant; tan-
demque postea ad Catholicam, & veram sen-
tentiam, adjectâ perbrevis distinctione, se jun-
que explicatione, revocare conantur? Quan-
tâ enim, Deus immortalis! quantâ cum Au-
ditorum pernicie effrænis ista licentia, capita-
lisque lues grassatur? quantâ cum Reipub. Chri-
stianæ fraude? quanto cum omnium anima-
rum detrimento? Nempe presentaneum erro-
ris, Hæresisque virus, prædulci blandæ orati-
onis, & curiositatis melle illitum, auribus mul-
titudinis potandum instillatur, illicoque ad
cor ipsum penetrat, & bonam fidem, simplici-
tatemque complurimum antea perimit, quàm
neces-

necessarium legitimi sensus antidotum ad-
 moveatur: quod sanè antidotum sæpenume-
 ro adeo imbecille etiam invalidumque est, ut
 hausto malefico succo, & toxico expectoran-
 do, vulnerique, quod jam ab eo illatum est, san-
 nando minimè aptum, imparque omnino sit.
 Quibus artibus planè insidiosissimis, serenda-
 que Hæresi maximè idoneis tam impruden-
 ter, ac nequiter exercitis, quàm molli bra-
 chio mysteriorum Catholicorum fides sensim
 elevatur, atque atteritur? quàm facilè Chri-
 stiana dogmata in dubitationem adducuntur,
 nec, dispulsâ caligine, bono in lumine collo-
 cantur? quàm subito conscientia Auditorum
 perturbantur, nec, affusâ rectæ intelligentiæ
 luce, componuntur, aut tranquillantur: quam
 de plano Apostolica divini verbi fundendi ra-
 tio, ac norma despicitur, lataque via affin-
 gendis, & confirmandis erroribus sternitur?
 At quid hujusmodi corruptelis scelestius?
 quid perverfius? quid execrabilius?

250. Verùm ad istorum præstigiatorum
 improbam perversitatem, intolerabilemque
 impudentiam severè, ut par est, coercen-
 dam, non meus stylus, non mea vox, non
 mea latera sufficiunt, Auditores, sed carce-
 re, sed ergastulis, sed vinclis, & compe-
 dibus tribunalis sacrorum Fidei Catholice
 Quæstorum opus profum est. Cum his
 enim capitibus frustra rationibus pugnatur,
 frustra sunt omnes disputationes, frustra ra-
 tiones, frustra cuncta argumenta. Vestra pro-
 vande auctoritas gravissima, Præules amplif-
 simi

fini, Inquisitoresque providentissimi, necessario interponenda est, à vobis frangi ineluctabiles tæterimæ huic contagioni serpenti omnino iniiciendi, à vobis in fontes, reosque, pœnis ingentibus irrogatis, acriter animadvertendum, à vobis, sancitis pertristis disciplinae exemplis, divini muneris corruptores perditissimi à flagitio penitus deterrèdi. Quid enim? nonne Ecclesia mater nostra sacrarum literarum vulgari idiomate lectionem suis filijs serio interdicit? & meritò, ne scilicet idiotæ, atque imperiti inde allucinandi, errandique ansam arripiant. Nonne huiusmodi interdictionem, incassum exadverso obloquentibus, ac frementibus cunctis hæreticis, Catholici omnes Doctores jure optimo timentur? Quanto magis igitur vobis strenuè curandum est, ne imprudentes, præcipitesque isti Concionatores, Concionatores autem? imò Circulatores potiùs, atque Histriones insanas doctrinas sacrorum Codicum depravatione, divinique verbi adulterijs nundinantes, Christianos populos illaqueent, infatuent, inficiant, erroribus implicent, hæresibus impleant? quanto graviùs in hos vobis consulendù est? quanto vehementiùs, & duriùs vindicandum?

Concionatores facetijs, & jocis sacra profanantes suggesta, exagitantur.

251. **S**Ed alia insuper pestis, quanquam Hæreticæ quidem sycophantiæ expers, valde nihilominus etiam noxia, sacra quo-